



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118480**

§. 33. Excidium Gallici exercitus in Italia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

**Sæcul. XVI.** bit, Galli vero , Vascones , Helvetii , Germani pedites , ceterique milites exter in patriam suam secedent , nec ullam stationem in Italia facere poterunt . IV. Hos tamen Arausia Princeps usque ad Provinciarum suarum fines sub tuto præsidio conduci curabit , quin in itinere molestia affici queant . V. Salutiarum Marchio ceteras urbes , quas Galli adhuc tenent , auctoritate sua compellet , ut sese Principis Arausionensis potestati tradant , ipse vero jure belli captus Neapoli permanebit . Firmata fuere hæc deditiois pacta die trigesima Augusti . Post hæc Arausia Princeps victor Aversam ingreditur , ibidemque Pomperanum , qui in urbe relinquebatur , invisere voluit , quem tamen jam fatis functum repererat . Hic idem est , qui olim seditione facta Borbonii Ducas signa sequebatur , ac Franciscum I. Galliarum Regem , cum in Papiensi prælio captus erat , e vitæ periculo eripiebat .

## §. XXXIII.

*Excidium Gallici exercitus in Italia.*

**C**apta urbe Melphitanus Princeps & Renceus Cerius contractis copiis Barulum , ac in alias urbes maritimas sese receperunt , in quibus sese contra omnes Cæsareorum insultus usque ad Came-

Cameracensem pacem strenue tueban-Sæcul. XVI.  
 tur. Horum quoque constantia quo-A. C. 528.  
 dammodo militibus Gallis saluti fuit;  
 quippe eorum quam plurimi ex Aversana  
 urbe egressi ad eos confugerant, nec  
 pauci eorum triremes conscenderunt,  
 alii vero Romæ morabantur; paucissi-  
 mi tamen in Gallias redeundi opportu-  
 nitatem habebant.. Porro Aversa ca-  
 pta cunctæ Neapolitani Regni urbes  
 Gallorum jugum eadem rapiditate ex-  
 cussérunt, qua ab eis paulo ante occu-  
 patæ fuerant. Hoc tandem fuit fatale  
 exitium Gallici, tamque copiosi exerci-  
 tus, qui olim cum Alpes superaret, u-  
 niversæ Italæ terrorem incusserat, nunc  
 vero penitus a Cæsareis dissipatus eva-  
 nuit. Tantæ ruinæ caussa adscribitur  
 sui Belliducis imprudentiæ, eoquod ip-  
 se pertinaci prorsus studio Neapolis ob-  
 sidionem prosequi statuebat, spreto po-  
 tissimorum aliorum Belliducum confilio,  
 qui exercitum peste vix non absumptum  
 cernentes obsidionem omnino solven-  
 dam esse censebant. Haud levis etiam  
 tanti exitii caussa extitit ipsa Francisci  
 Galliarum Regis imprudentia; hic enim  
 posthabito veri commodi studio pecu-  
 nias, quas in Neapolis expugnationem  
 vertere potuisset, partim ad solitas vo-  
 luptates suas, partim etiam ad fabricam  
 arcis Madritensis, quam non procul a

F f 5                      Pari-

**Sæcul. XVI.** Parisina urbe construxit, impendebat,  
**A.C. 1528.** haud ultra memor, quod olim ob æqualem, ac superfluam pecuniarum profusionem iniquissimo tempore factam de toto Mediolanensi Ducatu expulsus fuerit. Ita brevi res Italæ, quæ sub primis belli auspiciis Gallis admodum prosperè succedebant, tanta vicissitudine penitus inclinatæ erant, ut in tota ferme hac Regione totaque Genuensi, & Mediolanensi ditione vix ulla urbs amplius Regis dominio pareret.

### §. XXXIV.

#### *Fœderatorum oscitantia in restaurandis Gallorum rebus.*

**E**quidem Fœderati deperditas Gallorum res restaurare potuissent, si opportune usi fuissent Brunsicensium militum perfidia; Dux enim, ut Cæsareis pro tuendo Neapolis Regno suppetias ferret, nuper decem millia peditum, ac sexcentos Lancearios adduxerat, ast ex his non pauci sine missione a castris discesserant. Jamjam Brunsicensis Dux usque ad Veronnensem ditionem processerat, eum tamen Antonius de Leva in Longobardia detinebat, spe facta, se prædam, quam ex captis urbibus colligerent, inter ipsos partituros, hinc demum copias suas jungabant, ut Lau-